

DE
ANTHELMINTICORVM
CONVENIENTI VSV
ET OPERANDI MODO,
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS
ET
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV
PRAESIDE

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS.
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVR. PROFESSORE PVBL.
ORDIN. FACVLT. MEDICAE H. T. DECANO, IMPER. ACADEM.
NATVRAE CVRIOSOR. PRAESIDE ET COMITE
PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

D. NOVEMBR. A. S. R. MDCCXLVIII.

H. L. Q. C.

IN REGIA FRIDERICIANA

DISPVTABIT

GEORGIVS GODOFREDVS MENTZEL,

SVIDNITIO - SILESIVS.

HALAE MAGDEBURGICAE
TYPIS IOANNIS GODOFREDI KITTLERI.

ANTHELMINTICORVM
CONVENIENTI VSA
ET OPERANDI MODO
DIVINI NUMINIS AVATRIS
GRATIOSI MEDIOCORVM ORDINES CONSENSA
PROVINCIAE
D. ANDREA HILVI RACHINIRIO
SACRI ROMANI IMPERII MAGISTER
PONTIFICISSIMO ROMASIAN REGI A CONSULIS INTIMIS
MEDICINAE ET PHARMACOLOGIE MATRE TRIBUSSERET FAMAE
ORDINIS TACITI, INGENII ET CAVO, MUSAE, POMPEI,
HISTORAE AVICINORVM LITERARIONVM ET COMITI
TITULARIO E. GARRIO

PRO GRADU DOCTORIS
MONUMENTVM A. A. MECENATVM
HOC
INSEGNA LIBERICCIANAE
DISPARATIAT
GEORGIAS GODOLPHIAS MENTES
AVDINTIO. - II. Et. II.

THEO IOANNIS GODOLPHI KILLIPERI
HISTORAE MEDICOLOGICAE



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
ANTHELMINTICORVM
CONVENIENTI VSV ET OPERANDI
MODO.

PROOEMIVM.



Si qui unquam sunt, qui frequentissime occurrunt, morbi, qui corpus humanum variis dolorum cruciatuumque generibus affligunt, et non tantum periculo, sed et symptomatum magni-

A 2

magnitudine atque saeuitia terrent, sunt profecto illi praecipue, qui a *vermibus* in corpore humano oriuntur excitanturque. Quo plura vero symptomata grauia et saepe nimis periculosa inde eueniunt, eo maiori sane studio summaque cura Medicos allaborare debere censeo, ut pusillos carnifices illos e corpore relegent, remoueant, expellant, ne adeo torqueant hominem. Iam vero, legibus atque statutis Academicis, specimen quoddam, pro impetrandis summis in arte medica honoribus ac priuilegiis, summo iure postulantibus, ut et ego, absoluto studiorum cursu illos nunc capessiturus, satisfacerem, merito quoque de feligendo utili quodam inauguralis Dissertationis argumento sollicitus fui, tandemque meditationes quasdam, de *anthelminticorum conuenienti usū et operandi modo*, hunc in finem placidae disquisitioni publicae submittere decreui, aliqualem omnino tam theoreticam, quam inprimis practicam inde redundaturam utilitatem sperans. Nullus quidem ignorabam, iam circa hancce materiam

am quasdam prodiisse, sed pauculas, Dissertations, siquidem in primis huc referenda est illa *de anthelminticis*, sub Praesidio Illustr. b. m. HOFFMANNI, a G. Sikardo ao. 1698. in hac Fridericana ventilata, fusius quidem de ipsis hisce remediis tractans eademque concinno ordine exponens, pauciora autem de vermium generatione horumque medicamentorum operandi modo tradens. Nec inscius fui eorum, quae in *Ephemeridibus Naturae Curiosorum* sat fuse et elegantissime, de vermibus pariter ac anthelminticis, conscripta prostant; ast cuncta ea vel nimis generalia sunt, vel in specialissimis quibusdam relationibus, de rarioribus variis insolitae prorsus figurae vermibus, in hominibus generatis, enectis et tandem expulsis, consistunt. Praeterea et in aliis Autoribus, qui de vermis quaedam tradiderunt, non tantum ordinem neglectum tam in descriptione vermium, quam in recensione medicamentorum, verum etiam superflua varia inter anthelmintica relata deprehendi, quae nullo iure ad eorundem classem pertinere possunt. Omnibus ergo his con-

A. 3

fide-

sideratis probeque ponderatis, praefatum istud
thema exactius paulo inuestigare et declaratum
sistere mecum constitui, neque credo fore
quemquam, qui incongruum, tritum nimis et
ab omnibus declamatum credat hocce argu-
mentum. Recentiorum enim vestigia premens
eorumque sententiae in explicanda verium
generatione, non per putredinem, sed ex ouulis,
accedens, simul superflua a quibusdam allata me-
dicamenta omittam, vera autem sic dicenda an-
thelmintica retineam, in classes redacta descri-
bam, iisque rectum operandi modum, quantum
vires quantulaecunque sruerint, adiungere solli-
cite allaborabo. Sicuti vero et maximis, vel
principibus in arte Viris, euenit, ut sub argu-
mentorum quorundam expositione dubia ali-
qua subinde interdum remaneant; ita absit ia-
ctantia rerum illa, ut spealar firmissima, me adeo
perfecte declaraturum esse hancce materiam, ut
certe potius sim persuasus, complura etiam
in hac tractatione, vel intacta, vel insufficienter
explanata, obventura esse. TE vero, LECTOR
BENEVOLE, ut labori conatibusque primis fa-
veas, paucas pagellas serena fronte accipias, erro-
ribusque non vituperandis, sed emendandis po-
tius studeas, enixe rogatum volo. Vale!

DIS*



§. I.



Quam multis, quam diversis corpus huma-
num morbis obnoxium sit, iam ex asserto
illo HIPPOCRATIS quam evidentissime
elucet, quando vitam humanam totam
morbum esse, ita aiens, asserit: *Totus homo
ex naturitate morbus est* (a). Verum enim
vero, licet sanitas absolute perfecta omnino sit impossibi-
lis, tamen et sanitatem late sic dictam in homine rariorem
esse morbis, experientia quotidiana et exempla sat clara
testantur. Inter frequentissimos vero, qui corpus hu-
manum affligere solent, morbos, sane illi sunt numeran-
di, qui ex *vermibus* in corpore nidulantibus oriuntur.
Nescio num febres excipientur. Quam multi enim quam-
que diuersi ex *vermibus* veniant morbi, ex sequentibus
iam

(a) Epistol. II. ad Damager.

iam perspiciendum erit. Describamus itaque *vermes*, et statim deinde nos ad remedia, *anthelmintica* alias dicta, omisssis superfluis praemittendis, accingamus.

§. II.

De *anthelminticis* eorumque operandi modo itaque scripturis, vocem prius examinare atque veram eius etymologiam subnecere, necesse erit. Vera autem huius voci origo a graeco illo vocabulo, *ελμηντες*, deducitur, quod latini per *lumbricos* interpretantur, et hinc remedia illa, quae vermes vel lumbricos non tantum necant, sed etiam ex corpore expellunt, a voce illa graeca dicuntur *anthelmintica*. Intelliguntur vero per ea non solum medicamenta talia, quae *lumbricos* necant, verum etiam omnia illa, quae cuncta prorsus vermium in corpore humano productorum genera, (quorum varia utique esse statim indicabimus), et necant et propellunt. Obtinent enim denominationem anthelminticorum a graeco illo vocabulo, quod non nisi *lumbricos* designat, quia hi omnium frequentissimi sunt in corpore humano, et hinc recte omnino a potiori facta fuit denominatio.

§. III.

Priusquam vero ad ipsa perueniemus *anthelmintica*, pauca quaedam ad *vermum in corpore humano historiam, generationem atque differentiam spectantia*, praemittamus

DE ANTHELMINTICORVM VSV ET OPERANDI MODO. 9

tamis necesse erit, quo eo melius cuncta intelligentur, et ne quidam, de vermium existentia dubitantes, nos fabulam narrare credant. Sunt vero vermes in corpore humano, ea *animalcula reptilia*, quae ex insectorum ouulis spermaticis, in corpus humanum per os, deglutitione aut alio modo, delatis, ibidem generantur, et plerumque in primis maxime viis reperiuntur. Quod enim ex ouulis generentur istiusmodi vermes, non probabiliter tantum, sed vere omnino adfirmatur videmur, si consideramus, quam varii generis insecta ouula sua, dum undiquaque vagantur et omnibus fere in locis inueniuntur, esculentis aut potulentis immittant, haecque dein ab hominibus cum pane, carnis, herbis, variis fructibus, floribus, imo potulentis aquosis aliisque deglutiuntur, in ventriculo autem vel aliis locis dein, calore naturali accidente, excludantur. Ut taceam subtiliora illa et levissima huius generis ouula, in aere volitantia, quorum ingens pariter copia sub inspiratione intra corpus devenire valet. Alii Autores, inter eosque celeberr. RVYSCHIVS (b), vermes tales non ex ouulis deglutitis originem ducere, sed in eodem potius corpore nasci, ex ouis simul in nobis generatis cum reliquis corporis nostri partibus, verisimile admodum esse putant, quam quidem sententiam HIPPOCRATES aliquique Physici magni nominis iam olim etiam foverunt. Illud tamen non negandum

B

(b) Adversar. Anas. Dec. I. p. 18.

dum est, quod omnes omnino vermes ex ouulis generantur, licet alii hoc prorsus negare velint, et quidem inde, quod non in quois corpore iidem reperiantur vermes, sed in alio plerumque alii. Ast, quod non ex quolibet ouulo in quolibet corpore animalculum simile generari possit, id a varietate humorum dependet, quum unumquodque eiusmodi ouulum singularem quemdam omnino requirat humorem, sibi potissimum congruum et conuenientem, quemadmodum hoc eodem modo sese habet in generatione plantarum. Fac enim, quaeso, terram quamdam cum semine quodam, optimo alias, largissime commisceri, tunc ea, nisi naturae feminis fuerit conueniens, vix unicam quidem speciem huius plantae prolatura est. In quounque ergo homine talis humor naturae ouuli conueniens non reperitur, in eo quoque nulli generantur vermes. Quum vero in omni corpore humano diversi nimis adsint humores, non dubitandum quoque, quin ouulum quoddam humorem aliquem inveniat naturae suae congruum, et recte hinc multi Anatomici et Physiologi asserunt, in quolibet fere homine vermes adesse, quod et ex dissectione cadauerum, saepius ab Anatomicis instituta, appetet.

§. IV.

Obiicient quidem nonnulli, quod per deglutita ouula nullus generari possit vermis, et quidem ob ingen-

tem

DE ANTHELMINTICORVM VSV ET OPERANDI MODO. II

tem illam differentiam gradus caloris, qui respectu corporis humani et atmosphaerae notatur: Haec enim ouula, si ex frigore, vel calore moderato in auctiorem, qualem corpus humanum fouet, calorem transferantur, tunc ex iisdem vel plane nulli generarentur vermes, vel prorsus ouula ipsa destruerentur. Ad hoc autem regerendum erit, quod non valeat obiectio ad id probandum, quod probare debet: Consideres enim, quaeſo, quod omnia fere inſecta autumno appropinquante, prius quam pereunt, immensum fere ouulorum relinquant numerum, quae per totum hyemis tempus, summo quoque in frigore, ſeſe conſeruant, et vere incipiente, ope caloris atmosphaericı, ex iis inſecta demum excluduntur. Si vero ouula illa frigus ingens perferre poſſunt indeque non deſtruuntur, certe etiam calore paullo intensiori non ſemper corrumpi poterunt. Praeterea etiam facile largiri poſſumus, quod non ex omnibus omnino ouulis vermes prodeant, alias enim in miſerrimo nimis ſtatū vitam degeret homo, ob inſignem eorum copiam, variis modis quotidie fere intra corpus delatam. Multa quoque tandem animalcula minima, ex ouulis minimis cum aëre forſitan in corpus tranſeuntibus, in partibus aut humoribus eius haerere poſſunt, quae tamen nulla ibidem incommoda creant, ob ſumme exiguam ſuam magnitudinem, quum complura talium inſectorum adeo paruula ſint, ut et armato quidem oculo ea vix ac ne vix

quidem diiudicare queas. Constat enim, quodlibet animalculum et insectum sua iterum habere animalcula, iis longe minora, ita quidem, ut neque musca ab iis libera reperiatur, quod ex inspectione eius per microscopium apparet, cui, si tali modo eam sese purgantem respicies, in pedibus vel alio loco vera insidere animalcula (hem quam parvula!) obseruabis, quae ultima iterum sua longe minora habere, probabile est creditu. Plura scire cū pientem te relego ad *Nicol. ANDRY* (c).

§. V.

Qui vero Physicorum ex *putredine* et ex *mixtione* *materiarum* absque semine produci credunt animalcula; nimis profecto errant, et sententiam suam nullis plane argumentis firmis, sed falsis, probant. Facile hinc eorum assertiōnēm falsam esse probabimus, si vel unicum illud opponimus, quod nulla adeo confusa mixta materies partes animalis cuiusdam, optimo naturae ordine gaudentis, producere valeat, quum tamen in omnibus et vix conspicendi minutissimis animalculis optimum quemque ordinem semper obseruarint Physici. Huic argumento validissimo si adiiciamus, quod, si per putredinem generentur talia insecta, noua semper generari debeat eorum species, prorsus omnino illorum destruitur sententia.

Im-

(c) *Tr. de vermis in corpore humano genitis.*

Impossibilis enim ex hocce puncto per putredinem est generatio, quoniam natura in rerum generatione nullam plane patitur mutationem, sed semper eadem permanet constantissima. Nullum itaque nouum gentis inse-
ctorum quisquam produci affirmabit, nec possibile est, sed quale est ouulum, tale ex eo generatur animalculum, e. g. si hordeum terrae immiseris, neutiquam triticum, sed hordeum omnino inde progerminabitur; sic quoque in animalibus: non enim ex bufoinis semine prodibit vi-
pera, neque vypera gignet lumbricos, sed quodlibet animal per suum semen sui, non aliis animalis, speciem producet. Facile quoque erit huius effectus submini-
stranda ratio, siquidem prout semen quodlibet plan-
tae cuiusdam iam reuera plantam illam, quam prolatu-
rum est, in se continet: ita quoque in semine, seu ouulis animalium, iam reuera contenta sunt illa, quae nascenda sunt, animalia. Dignissimi hinc sunt, qui circa hancce materiem relegantur, HARTSOEKERVS et LEEV.
WENHOECK. Quod vero alii, ut manifestam hancce veritatem, de generatione animalium ex semine, im-
pugnarent, de animalibus non completis inuentis, vel
de ranis a vento in terram deiectis, proferunt, elegantis-
sime et satis fuse refutauit et veritatem defendit laudati-
simus iam Auctor, Nic. ANDRY (d).

B 3 §. VI.

(d) I.c. Cap. II.

14. DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

§. VI.

Iam itaque evidenter constat, quod quaecunque in corpore humano, vel aliorum animalium, reperiuntur peregrina animalcula et insecta, omnino ex ouulis spermaticis generentur. Haec enim ouula, quae ab insectis intra esculenta aut potulenta deponuntur, si cum iis ab homine deglutiuntur, vel cum aere ipso hauriuntur, postmodum in ventriculo, intestinis, vel alio loco (e), blando furo & calore excluduntur. Hoc namque etiam extra corpus fieri, unico tantum (licet plura quoque ad-
sint,) exemplo probatur sumus. Puluerem viperarum, paullulum vetustum maxime, ordinarie fere scatere vermiculis minimis, experientia subinde testatur, manifesto testimonio, quod haecce animalcula ex ouulis, in carne illa viperarum, in puluerem redacta, iam contentis, pro-
ducta fuerint.

§. VII.

His itaque, quoad generationem talium animalcu-
lorum in corpore humano, praemissis, quaestio nunc

(e) Non plane improbabilis hinc videtur sententia eorum, qui pruritum illum insolitum et extraordinarium, in quacunque corporis regione cutisque superficie quandoque occurrentem, ab animalculis eiusmodi minimis derivare contendunt, prout hoc, intuitu exanthematum praecepit, fuisus demonstrare conatus est RIVINVS, in Dissertat. de Pruritu exanthematico ab garris.

oritur: num in ventriculo ac intestinis tantum reperi-
antur vermes, vel quoque simul in reliquis corporis par-
tibus? Constat utique, ex innumeris veterum atque re-
centiorum Auctorum exemplis, quod non in ventriculo
et intestinis solum, verum etiam in omnibus omnino
corporis partibus, vermes saepius sint reperti. Sic enim
testantur, eos deprehendi in cerebro, in oculis, palpe-
bris, naribus, auribus, dentibus, saliuia, corde, sanguine,
urina, sudore, in vesica fellea, pulmonibus, renibus,
utero, spina dorsi, genubus, quid? quod in omnibus cor-
poris partibus, ut horum recensio non Dissertationem
sed integra fere volumina, requirat. De singulis hisce lo-
cis exempla inuenies in *Ephemeridibus Acad. Caesar. Leo-*
poldino-Carolinae Natur. Curiosor. (f). Iam itaque ad
differentias vermium nos conuertamus necesse erit.

§. VIII.

Non convenient Auctores in recensendis vermitum
differentiis, sed alii plures, alii pauciores statuunt. Nec
sane miremur diversas Auctorum circa has opinio-
nes, quum ipse RVYSCHIVS (g) afferat, quod in hu-
mano corpore quam diversa inter se discrepantes forma-

gene-

(f) Vid. Lexicon reale et uniuersale egregii huius Operis, quod cum Praefatione Ill. Praefidis promulgauit D. Wilh. Andr. KELLNERVS, Anno 1739. sub Tit. *Vermes* p. 1320-1327.

(g) *Adversar. Anat. Dec. I.* p. 18.

generentur vermes, et ita tamen differentes ab omnibus aliis in rerum natura unquam repertis, ut nusquam iis similem ullum conspicere detur extra corpus humanum, quorum interim nonnulli in plurimarum exporriguntur ulnarum longitudinem. Ita enim ANDRY quemdam vermem, (quem *solum* appellant, quia solus reperiri solet,) ex corpore expulsum fuisse refert, qui quatuor ulnas et tres circiter pollices longitudine aequabat, nec totus tamen conspiciebatur, quum pars adhuc in corpore remanserit (h). HILDANVS pariter talem se obseruasse et inter rarissima naturalia in museo suo conseruatum retinuisse, refert (i). HARTSOEKERV^S multos tales vidit et longiores adhuc, in primis autem mentionem facit vermis cuiusdam sibi a RVYSCHIO monstrati; cuius longitudine plus quam XXXXV. ulnarum gallicarum erat, quod, nisi testis ocularis fuisse, ipse vix credidisset (k). Aliis adhuc Auctoribus, ipsi HIPPOCRATI, Philiberto SARRAZENO, SPIGELIO, TULPIO et pluribus aliis, tales iam notos fuisse, ex scriptis eorum liquet. Sed ne iusto longior excurrat Dissertatio nostra, mittamus hosce rariores, et de iis tantum agamus, qui frequentissime in corpore humano, eiusque intestinis praecipue et ventriculo, latitant.

§. IX.

h) *I. c. et in Praefatione; item Tab. V. f. 17.*

i) *Cent. II. Obs. 70.*

k) *In Epistol. ad Nicol. ANDRY, in huic libro citato circa finem.* (9)

§. IX.

Solent autem a Medicis vulgo in tres dispesci species, et sequentia iis nomina imponi: I. ἔλμυθες σφουγγύλαι, siue *lumbrici teretes*; II. πλατεῖαι vel *neigiae*, *lati*, qui etiam *rawiae*, i. e. *fasciae* seu *lumbrici fasciati*, vulgo dicuntur, quia fasciolam seu vittam tenuem exakte referunt, si caput et caudam excepferis, quae in acutum desinunt; III. ἀσκαρίδες, seu *minuti*, qui etiam recepta illa voce inter Latinos *ascarides* nuncupantur⁽¹⁾. Prima horum soboles, qui *teretes lumbrici* dicuntur, copiosissime et frequentissime occurrit in corpore humano, atque hiliippis et tonsoribus noti sunt, cum saepissime cum excrementis aluinis excerni videantur. Sedes eorum plerumque in intestinis tenuibus est, ubi copiose nimis generantur. Inueniuntur quidem et in ventriculo, non tamen adeo frequenter, uti in praediis intestinis, et quidem plerumque in infantibus ac pueris, licet et adultos ab iis prorsus liberos esse nulli affirmemus. Secunda species *lumbricorum*, nempe *lati*, longe peior deteriorque est priori. Non quidem adeo copiosi, nec tam saepe, ac illi *teretes*, obseruantur, quum unicus tantum aut duo in corpore obseruentur, sed longitudine illos adeo superant, ut ad VI. VIII. X. et plures ulnas extendantur. Est ea species,

C

quam

1) vid. GALENVS in *Exeges*

quam praeceps ANDRY (m) et le CLERC (n) fusius de-
scriptam fistunt. Tertia denique species *ascarides* com-
pleteatur, qui copiosissimi et aceruatim in intestino recto
reperiuntur, ubi gigni et congregari solent, ac magnitudine,
crassitie et figura fere acubus similes existunt. Adulti-
ribus magis tales sunt familiares, quam iunioribus. Licet
autem perquam exigui sint hi vermiculi, summum tamen
et fere intolerabilem in intestino recto, circa sphincterem
ani, excitant pruritum, cum frequenti molestissimoque
tenesmo coniunctum, ut inde etiam interdum lipothy-
miae aliaque grauia symptomata concidentur, qualia reli-
qui vermes vix ac ne vix quidem producere solent.

§. X.

Iam itaque cognita vermium generatione ac diffe-
rentia, locisque ubi reperiuntur, ulterius inquirendum
erit, unde Medicus praesentiam eorum cognoscere, et
symptomata, tunc plerumque occurrentia, ab aliis morbo-
nis pathematibus discernere queat. Evidem Auctores
quidam nulla vera pathognomonica dari signa, sed ob in-
signem varietatem ea semper fere cum aliis morbis con-
uenire, afferunt. Alii vero adeo multa eorum recensent,
ut vix memoria comprehendi, aut satis etiam dilucide
cognosci et exponi queant. Neutiquam tamen negan-
dum

m) 1. c. Tab. VIII. Fig. 17.

n) In Hister, latorum lumbricorum,

dum est, quod vera omnino indicia, ex quibus vermium praesentia dijudicatur, tam ex ratione sana, quam experientia, subministrari possint. Iam itaque praecipua et certiora horum breuiter addamus, qualia in primis sequentia erunt: dolores nempe sensibles rosui, circa umbilicum, intestina et ventriculum, cessatio talium terminum post ciborum ingestionem, insolita corporis macies, faciei pallor, voracitas nimia, cum virium tamen potius decremento, quam augmento, iuncta, alii modo segnities et obstructio, modo lubricitas extraordinaria, tumor et durior infusio abdominis, ruetus, borborygmi, quibus tandem in primis narium fricationes frequentes, itemque nausea et vomitus, accedunt. Certissimum autem omnium est indicium, si cum fecibus aluinis vermes simul excreti deprehenduntur, quod quidem saepius et praecipue cum lumbricis teretibus contingit, unde dein priorum signorum certitudo tanto magis confirmatur. Ascarides vero praecipue ex pruritu illo et titillatione nimia, quam in intestino recto excitant, dignoscuntur (§.IX).

§. XI.

Ex variis fatisque frequentibus optimorum Praetitorum circa vermes observationibus porro compertum quidem habemus, vermes aliquando absque ullo incommodo, vel ulla etiam noxa, in corpore diu nimis latitare; ast, saepius utique, imo saepissime, in primis in aetate

infantili et puerili, tam gravia et saevissima producunt symptomata, ut vix ac ne vix quidem enarrari queant. Ita enim non tantum febres lentas, continuas, alui floures, lipothymias, insultus epilepticos, veras epilepsias, deliria, imo et alios perquam sonticos excitant morbos, sed adeo miros quoque et prorsus insolitos saepius producunt, ut pro daemoniacis reputentur, aut incantationi adscribantur, quod vel unico illo viri cuiusdam exemplo confirmatur, qui vermis nimium exeruciatus, sub delirio inde orto, in lingua germanica, alias sibi prorsus ignota, adeo perfecte multa proferebat, ac si eandem optime calluisset, et, nisi vermis tandem multis expulsis haec omnia iterum cessassent, insciit huius a daemone obsecrum eundem certissime credidissent (o). Reete hinc *Phil. MARCI apud BONETVM de Med. Septentr. Lib. III. Sect. XVI. Cap. IV. p. 627.* monet, quod saepenumero in morbis intricatisimis τὸ δέον hariolemur; si vero rem apertioribus oculis consideremus, vermes sint et lumbri. Plura a vermis oborta truculenta morborum genera inuenies apud MORONIVM. (p).

§. XII.

Quo peiora et periculosiora vero sunt eiusmodi symptomata, eo maior quoque cura est Medici, ut hostes illos

(o) Vid ERASMI Epistol. in land. Medicinae; it. SCHENCKIVS L. 3. fol. 408.

(p) In Directorio medico-practico, sub titulo *Lumbri*, p. m. 269.

DE ANTHELMINTICORVM VSV ET OPERANDI MODO. 21.

los corporis humani infensissimos, iustis atque congruis medicamentis necatos, tempestive e corpore expellat. Omnes autem, tam antiquiores, quam recentiores, paucis tantum exceptis, si euolues Autores, longam quidem recensitam inuenies medicamentorum seriem, pauca vero deprehendes, quibus veram anthelminticam tribuere possis virtutem, in primis cum et dulcia iisdem plerumque accenseantur, quae tamen amica magis, quam infensa sunt vermibus, nullaque ratione eorum expulsioni fauent. Alii proinde medicamentorum anthelminticorum quatuor, alii tres, alii duas constituunt classes, qui quidem ultimi, nisi incongrua iis addant simplicia vel composita, optime ea dispescere videntur. Ut vero illorum etiam, qui quatuor ponunt classes, diuisionem non silentio praeteream, paucis iam ea recensem. Ad primam itaque illorum classem ea referunt medicamenta, quae vermes satiant, qualia sunt omnia *dulcia*, et in primis saccharata et mellita. Putant enim, animalecula haec famelica abunde cibanda et exsatianda esse suaibus a dulcibus, quae maxime ab iisdem adpetuntur, ne ventriculum et intestina nimium arrodant. Reicienda autem merito sunt hoc scopo talia dulcia et suavia, quoniam vermes, ex concessis, iisdem unice nutriuntur et satiantur; si vero satiatis enecans quoddam medicamentum exhibueris, non peribunt, quia non esurientes illud respuent. Hinc meliora statim iudicamus necantia porre-

C 3 Eta,

Etia, quum, quo magis sint famelici, eo citius deuorabunt et necabuntur. Ad secundam classem referunt *ingratis*, et inter ea praecipue omnia *amaras*. Sed non omnia sane talia vermis nocent, multo minus eos necant, ut potius ex superfluo amarorum abusu ad maiores rosiones irritentur, atque inde saevissima orta esse symptoma et mortem testentur Practici. Quando enim insig-
nem talem sentiunt amaritudinem, exitumque quaeren-
tes nullum inueniunt, tunc saepius ipsa intestina, cum summo et certissimo vitae periculo, perforare solent. Tertio iam sequuntur *necantia*, inter quae potissimum terrestria, salia acida, itemque alcalia fixa et volatilia, acria, oleosa et pinguis, aquae suaevolentes, mercurialis, aqua extinctionis metallorum liquefactorum, etc. refe-
runtur. Quartam tandem classem constituunt *expellen-
tia*; necati enim vermes, ne in putredinem abeant, ex-
pellantur statim necesse est. Hae ergo sunt vulgares qua-
tuor classes anthelminticorum (q); qui autem tres saltem eorum constituunt, illi, omissis dulcibus, seu satiantibus, saltem reliqua pro veris agnoscunt anthelminticis, *ama-
ra* nempe, seu nidum destruentia, *enecantia* et *expellen-
tia* (r).

§. XIII.

Quum itaque *dulcis* nullo modo aduersa sint ver-
mibus

q) vid. Illustr. b. m. HOFFMANNI *Dissertatio de Anthelminticis*,

r) BOERHAAVE in *Aphorism.* §. 1369. et 1379. p. m. 345.

mibus nec eosdem profligent (§. XII.), scopus vero sit Medici, in curandis morbis a vermis excitatis, ut hi vel enecati, vel viui e corpore proscribantur, insimulque *amara* tam ad necantia, quam expellentia, simul referri queant, hinc ea quoque in praesentiarum adnumerabimus vel necantibus, vel expellentibus, secundum distincta illa, quibus instructa sunt, principia. Missis itaque duabus prioribus classibus, duas tantum retinebimus, quarum prima *necantia*, altera vero *expellentia* contineat. Priusquam vero ad ipsam horum medicamentorum re-censionem progrediamur, monendum esse ducimus, nos neutiquam hic omnia et singula ab Aucto-ribus commen-data, hoc tamen non pertinentia, prolatus, sed ea tan-tum exposituros esse, quae ob singularem suam indolem et principiorum conditionem pro vere anthelminticis sunt reputanda.

§. XIV.

Ad primam itaque horum medicamentorum classem, quae *necantia* continebit, nos conuertentes, ut certum quoque obseruemus ordinem, primo ea indagabimus, quae ex *regno minerali* depromuntur. Non immerito sa-ne primum inter haec locum mereri videtur *mercurius viius*, qui cum aqua simplici, vel destillata quadam, e.g. aqua graminis, fumariae, absynthii, scordii, etc. coctus, eam particulis suis imbutam, aptissimam ad enecandos

ver-

vermes reddit. Ea autem potissimum ratione talis de-
coctio instituitur, ut e. g. ad mercurii erudi unciam unam
aquaee fontanae sumatur libra una, per horae spatiu[m] co-
quatur, cum instrumento quodam ligneo frequentius
agitetur, et postmodum filtretur; huius dein aquae, vir-
tute ista specifica impregnatae, pro diuersitate aetatis
subiectorum unciae II. III. vel IV. vel ita simpliciter, vel
saccharo leniter edulcoratae, subinde verminantibus ex-
hibentur. Suadent quoque alii Auctores, nec sine omni
ratione, ut cum vino Rheano simili ratione currens mer-
curius decoquatur.

§. XV.

Quod vero nunc specialem huius medicamenti ratio-
nem operandi attinet, recte equidem Illustris b. m.
HOFFMANNVS (s) asserit, eam non tam accurate ex
principiis physico-mechanicis mercurii deduci posse; cre-
dibile tamen est, quod vel mobilitate, vel virtute subti-
liori alcalica, qua insimul gaudet, hunc specialem effectum
exferat, humores viscidos resoluendo, incidendo, nidos
destruendo, ventriculum et intestina leniter irritando, ut
hinc, ob nutrimentum deperditum, vel moriantur vermes,
vel viui saepe exire cogantur. Simili ratione omnes aquae
extinctionis metallorum liquefactorum a plurimis Pra-
cticis

(s) *Vid. Suppl. Med. ration. Systemat. Cap. XII. §. VII. p. 85.*

Eticis ad necandos vermes maxime laudantur; certuni enim omnino est, quod aquae tali insinuentur particulae quaedam metallorum, et praecipue acidæ, quales vernibus maxime aduersæ et quasi deleteriae sunt. Hoc vero simul est notandum, quod parcus in usum vocandæ sint haec ultimæ aquæ, quoniam ex earum abusu mala facile oriuntur symptomata (t). Succedit iisdem *aethiops mineralis*, qui ordinarie ex sulphure et mercurio paratur, adeoque tam subtile salinas, cum terra mercuriali iunctas, particulas, quam acidum sulphuris vitriolicum continet, eodemque fere modo, ut mox recensenda reliqua mercurialia præparata, agit. Infantibus a gr. iv. ad x. adultis vero a scrup. j. ad drachm. dimid. exhiberi potest, si que effectus non statim patet, continuetur usus eiusdem per aliquot dies, absque ullo saluationis metu. Ut vero simul gratus ipsi concilietur sapor, si infantibus porrigitur, aliquantulum sacchari aut pulueris cinnamomi, itemque guttula ol. de cedro vel cinnamomi, admisceri potest.

§. XVI.

Mitiori huic mercuriali remedio succedit dein aliud magis efficax et fere drasticum, et idcirco rarius communiter in usum vocatum, *mercurius nempe præcipita-*

D

t) Conf. WELSCHIVS in *Mictomem. Obs. 90. p. 24.*

tus albus. De eo enim Ill. BOERHAAVIVS (u) scribit, quod, addito triplo facchari, ad gr. ix. exhibitus, moueat aluum, vomitum, *vermes occidat*, pituitam viscidam resoluat et reiterata dosi saluationem excitet. Negandum equidem non est, quod hocce remedium, ob salia ipsi adhuc iuncta, ventriculum et intestina satis efficaciter irritet ac stimulet, adeoque, his inde validius se se contrahentibus, frequentiores aluinae deiectiones et vomitus subsequuntur, et quando salia illa acriora pituitam viscidam, in primis viis collectam, (ubi vermes maxime nidulantur,) resoluunt, quod tunc animalcula ista nutrimento suo priuent, nidos eorum destruant, illaque demum enecent; ast, ob varia alia facile tunc simili covenientia graviora symptomata, minus fidendum esse tali anthelmintico iudicamus, sed potius eidem praferimus *mercurium dulcem*, qui ut in aliis multis rebellibus et pertinacioribus morbis egregium plerumque exserit effectum, ita non minorem profecto et plane specificam, intuitu vermium, praestat virtutem, quam multis confirmatam dare exemplis non opus erit, cum communis Practicorum consensus eam sufficienter iam et abunde pro certa et infallibili declarauerit. Eadem fere ratione, sicuti modo allegatus praecipitatus albus, agit, sed mitius atque securius, quoniam salia ipsi adhuc iuncta minus acria et corrosiva sunt, ut in priori, et tamen pariter tam enecantem, quam expellent.

u) in Element. Chemicæ Tom. II. p. 488.

DE ANTHELMINTICORVM VSV ET OPERANDI MODO. 27

pellentem efficaciam exserit. Cauelas vero ne male praeparatum exhibeas, alias eadem, quae prior ille interdum inferre solet, abinde metuenda sunt symptomata, prout inter alia exemplum, a beato G. W. WEDELIO(v) additum, monstrat. Potest is vel solitarie, cum absorbente mixtus, a gr. j. ad v. pro diuersa aetatis et subiecti ratione, exhiberi, vel etiam iuncto aliquo purgante, e. g. scammonio sulphurato, extr. panchymag. Crollii, maxime in forma pilularum. Notandum quoque illud est, quod FVLLERVS(w) rectissime monet, omnes nempe pulueres ex mercurio et antimonio paratos, nunquam cum liquoribus esse porrigendos, partim quoniam ad fundum propria grauitate decidunt, partim etiam, quoniam facilime in plicis ventriculi, vel in gutture haerere solent, unde noxiae saepius salivationes, vel continui conatus vomendi, vel deiectiones alii oriuntur; at sub forma vel boli, vel pilularum, facilius deglutiuntur, et postea, mediante ventriculi fermento, iterum soluuntur, siveque incommoda talia praecaudentur.

§. XVII.

Dantur quidem omnino plura in hocce regno medicamina, quae ab Auctorisbus nonnullis etiam inter an-

D 2

thel-

v) in Diff. de mercurio dulci.

w) in Pharmacopoeia extemporanea p. m. 313.

thelmintica referuntur; quum vero non adeo magni momenti sint, nec etiam inter vere anthelmintica referri mereantur, hinc ea iam mittimus et ad aliud regnum progradimur, paucis tamen prius singularis cuiusdam remedii, quod mineralis adhuc est prosapia, mentionem iniicientes. Est hoc *oleum petrae*, quod egregiam sane virtutem balsamicam ac roborem habet, et, ut omnia fere reliqua olea ac pinguia, vermes necat. Constat per experimenta crebrius instituta, quod, si vermes omnis generis illiniantur oleo, statim inde moriantur, eam maxime ob rationem, quia organa sua respirationis non, ut cetera animalia, seorsim recondita, sed per totam corporis regionem quasi dispersa habent, quae externe sub oscularum forma comparent (x). Quam primum itaque corpus eorum illinitur et obducitur oleo, statim etiam simul obstruuntur respirationis organa, et aere hinc priuati vermes quasi suffocati pereunt; si vero caput saltem oleo obliniveris, nil sane nocebit. Hinc quoque suadent Practici, ut mane, ieuno ventriculo et intestinis, sumat aeger oleum, quo citius eo immergantur vermes sicque facilius enecentur. Olei vero huius nominati usus externus longe praestantior atque securior est interno, quando nempe umbilico illinitur; potest quidem, sed rarius et tantum a gutt. j. ad iv. interne sumi. Lumbricis teretibus praecipue nocet.

§. XVIII.

x) MALPIGHIIYS de Bombyce. p. 19.

§. XVIII.

Iam ergo ad regnum vegetabile nos conuertimus, quod primum fere et antiquissimum obtinet locum, et tantam nobis ex omni medicamentorum genere praebet copiam, quantam nec in minerali, nec in animali deprehendere licet. Hoc itaque, intuitu anthelminticorum, nobis primo suppeditat *Allium*, vilissimum quidem et vulgarissimum remedium, sed tantae simul efficacie, ut et ab ipso GALENO iam *ruficorum Theriaca* appellatum fuerit. Gaudet principiis salinis volatilibus, acribus atque causticis, cum mucilaginosis mixtis, tantamque possidet acrimoniam, ut succus expressus nudae cuti illinitus vesicas excitet. Admodum ergo egregium in vermbus necandis praebet effectum haec radix, non quidem insubstantia, sed in forma decocti cum lacte parati exhibenda, qua ratione nimia eius acrimonia quadantenus quidem temperatur, nihilo minus tamen, ob superstites adhuc et saltem quasi inuoluntas fixiores illas salinas partes, potenter enecat vermes, tunicas ventriculi et intestinorum stimulat, et ope salis volatilis, quod continet, mucum incidit et resoluit, eoque ipso nidi ingratorum talium hospitum penitus destruuntur. Porro quoque laudatur radix *armoraciae*, quae eadem fere cum allio habet principia et inde eandem quoque virtutem et operandi modum simul monstrat. Radula comminuta haec radix et

cum aceto praeparata, vel solus etiam eius succus expressus, cum saccharo temperatus, exhiberi solet. Summe acris et amaricans pariter eius est sapor, quapropter optime etiam corrigendi scopo amygdalae dulces contrarie ipsi admiscentur. Excipit hanc notissima optimae indolis herba, *Ahsynthium*, ex principiis sulphureis vaporosis, alcalicis fixis et volatileibus, cum tenerioribus terreis mixtis, constans, virtute non tantum roborante stomachica, verum etiam egregie anthelmintica gaudens. Oleum eius destillatum in primis laudatur, si externe umbilico illinitur, interne vero tantum ad paucas guttulas, aliis anthelminticis extractis mixtum, quandoque exhibetur, optimumque tunc enecantem effectum, ob summam praeceps amariciem, exserit. Huic porro etiam adiungenda est *radix filicis*, quam complures Auctores decoctam adversus omnis generis vermes eximie laudant (y), nec etiam, ob principia salina austera fixiora, prorsus reiicienda videtur, siquidem in primis Nicol. ANDRY (z) solo huius radicis usu, si eum melle ad drachmas duas, vel cum vino ad drachm. iij. exhiberetur, vermes copiose enecari tradit.

§. XIX.

Maioris autem et evidentioris adhuc virtutis est

Tana

y) vid. SCHVLZII Theses de mater. med. p. 357.

z) I. c. Cap. IX. p. m. 220.

DE ANTHELMINTICORVM VSV ET OPERANDI MODO. 31

Tanacetum, quod et a Germanis iam idcirco **Wurm-Kraut** appellatum fuit. Possidet principia salina alcalina, oleosa et sulphurea vaporosa, cum insigni amaritie iuncta, quorum specialem operandi modum facile hinc perspicere licet. Semen quidem pariter a quibusdam commendatur, praestantioris autem virtutis est oleum destillatum, ad instar olei destillati absynthii adhibendum. Similia cum tanaceto principia eandemque virtutem monstrat semen **Santonici**, germanis **Zittwer-Saamen** dictum, ab aliis pro specie tanaceti reputatum. Notissimum et domesticum est medicamentum anthelminticum, et communiter infantibus verminantibus cum melle mixtum optimo cum effectu porrigitur, a scrupulo unico ad integrum drachmam. Alii quoque **Theriacam** vermis maxime adversam et hinc merito anthelminticis adnumerandam esse contendunt. Hos inter seorsim eandem laudat PANAROLVS (a), et, omnibus aliis frustra adhibitis talibus remediis, operae pretium fecisse adserit, quod etiam non in dubium vocavit ANDRY (b), postquam per experientiam deprehendit, quod ab admixta cuiilibet aceto Theriaca, vermes omnes in illo contenti enecati fuerint, acetumque semper ab iis prorsus liberum permanserit.

§. XX.

a) *Iatrol. Pentec. IV. Obs. 29.*

b) *I.c. Cap. VI. p. m. 149. 150.*

§. XX.

Laudatissimum illum *corticem Peruvianum* silentio
hic praeterire, nefas omnino crederem, quum a plurimis
Auctoribus non immerito anthelminticis adnumeretur. Ita
enim in *Ephemeridibus Naturae Curiosorum* (c), in *Historia
morborum Wratislauiensium* (d), a Franc. REDI (e), ab HEI-
STERO (f) aliisque Auctoribus, non absque certissima spe
effectus eximii, commendatur. Praecipue vero exem-
plum quoddam singulare adducit Illustr. HEISTE-
RVS (g), quod puellam quamdam, conuulsionibus epi-
lepticis, a vermis excitatis, gravissime adfictam, omni-
bus aliis irritis, solo tandem electuario e conserua rosa-
rum, *cortice Peruviano*, pauxillo mercurii dulcis et sy-
rupo quadam parato, felicissime inde liberauerit. Con-
tinet autem hic cortex principia salina fixa amaricantia,
cum balsamicis multisque terrestribus mixta, et hinc vir-
tute gaudet adstringente, leniter resoluente et roborante.
Modus operandi, intuitu anthelmintici effectus, procul
dubio ex principiis salinis amaricantibus, et praecipue ex
terrestribus, est deducendus. Illa enim vermis admis-
sum

c) Dec. II. A. IX. App. p. 24. et 51. Ann. X. p. 229. Dec. III. A. II. p. 60.
et 85. Cent. III. et IV. p. 385.

d) Anni MDCXCIX. p. 38.

e) In Obs. animal. viu. p. 98.

f) vid. Compend. Medicinae Pract. Cap. XVI. §. 34.

g) ibid. et Cap. XIV.

dum inimica esse eosque necare, iam ex antecedentibus apparet; haec vero, scilicet terrestria, et siccando, et humiditates absorbendo agere credimus, ut ita vermis, nutrimento eosdem priuando, mortem pariter inferre valent. Similis fere indolis esse iudicamus *corticem radicis Mori*, qui pariter a compluribus Auctoribus, in primis vero b. Io. Henr. SCHVLZIO (h), de FRANCKE-NAV (i), et saepius nominato Nic. ANDRY (k), tanquam specificum commendatur, hicque teorsim eundem tempore vernali, ab arbusculis iunioribus desumptum, et ab una ad tres drachmas per semihorae spatiū in aqua fontana decoctum, exhibere iubet, atque illum sic et vermes enecare et leni sua virtute purgante expellere adserit. Potest vero etiam in substantia, seu in forma pulueris, ad integrum usque drachmam, cum aqua fontana aut destillata quadam exhiberi, eiusque usus per aliquot dies continuari. Supersunt denique in hoc regno adhuc *olea*, et ex his praecipue *amygdalarum dulcium* pariter ac *amararum*, quorum tamen modum agendi non opus est ut exponamus, quum in §. XVII. eundem sufficienter declaratum dederimus, adeoque unicum saltem hoc de iis adhuc monendum restat, quod mane, et quidem iejuno ventriculo, talia maxime sint porrigenda, quo tanto minus

E

ea

h) in *Theſibus de mater. med.* p. 262, 263.i) vid. *Flora Francica rediuiua*. p. m. 377.

k) l. c. Cap. IX. p. m. 220. et 221.

ea subterfugere queant vermes, atque iisdem immersi tanto facilius pereant.

§. XXII.

Quod tandem *animale* attinet *regnum*, quum illud alioquin iam in genere paucissima contineat remedia, utique etiam saltem leuiora quaedam, nec adeo magni momenti, nobis offert anthelmintica. Horum ergo ad classem primo spectat *cornu cerui ustum*, cuius operandi modus idem est, qui omnium terreorum et absorbentium. Humiditates enim, in quibus vel nidulantur vermes, vel etiam ab iisdem nutruntur, crebriori eius usū absorbentur et imminuantur, hinc vel nutritione ablata, vel nidis plane destructis, facile tandem pereunt vermes. Proinde etiam admodum est probabile, quod ustum hoc C. C. concurrentibus acidis illis, plerumque in primis viis stabulancibus humoribus, demum abeat in salsum quedam mixtum, hostibus istis infensissimum. Excipit hoc *fel tauri*, quod quidem insipiatum, in forma pilularum, cum aliis adpropriatis interne exhibere suadent Auctores; num vero tali ratione extantiorem quandam praestet effectum, aliis experendum relinquimus. Ascaridibus autem vel in forma suppositorii, vel clysmatibus additum, illud maxime aduersum esse, copiosamque illorum expulsionem adiuuare, per experientiam abunde iam constat. Satis quoque eximium praestat effectum, si externe umbilico infantum illiniatur, tuncque illud ope principiorum salinorum, stimulando et motum peristalticum augendo, salutarem exferere potest effectum. Misceri etiam potest cum aliis oleis anthelminticis et in formam unguenti redigi, hunc circiter in modum: Rec. Fell.

Taur.

DE ANTHELMINTICORVM VSV ET OPERANDI MODO. 35

Taur. inspissat. 3ij. Aloes hepatic. 3j. Olei Colocynth. 3j.
Ol. Absynth. q. s. M. F. Unguentum.

§. XXIII.

Expositis sic medicamentis vermes necantibus, modoque horum operandi cognito, ad ea nunc transeundum est, quae hostes tales, corpori humano infensissimos, exinde unacum ouulis suis proscribunt et eliminant, ne noua forsitan illorum soboles, denuo exclusa, nouas iterum insidias struat. Licet vero eorum, quae in ventriculo pariter ac intestinis continentur, remotio, tam per superiora, quam inferiora, fieri posit ac soleat, vermium tamen expulsio non aequa commode et secure vomitorii peragi potest, ob varia grauiora tunc ordinarie metuenda symptomata, adeoque praferenda merito est illorum cum aluinis fecibus exterminatio, quam quidem generatim cum quibuslibet purgantibus remedii fieri posse non negamus; quaedam tamen horum, teste experientia, huic scopo conuenientiora esse omnino iudicamus, eorumque idcirco specialiorem recensionem nunc quoque subiungemus.

§. XXIV.

Ex minerali ergo regno primum merito locum tribuimus *mercurio dulci*, ob eximiā suā enēcantē virtutē fatis iam cognito, et ob coniunctā simul fatis efficacē expellendi facultatē tanto magis commendando, de quo tamen iam plura monere non lubet, cum potiora huc spectantia ipsumque adhibendi modūm simul concernentia, superius iam tradita sint. Excipiunt eundem omnis generis in hoc regno occurrentia *salia*, inter-

que haec primo *sal commune*, quod ex spiritu acido, cum terreo alcalino principio iuncto, constat, hincque itidem ad vermium expulsionem adiquandam multum omnino quoque conferre valet. Agit potissimum stimulando, dum fibras musculares spirales, quae intestinorum canalem undique ambiunt, itemque longitudinales, irritat et ad contractionem disponit, vasorum latera versus centrum urget, motumque peristalticum accelerat et contentorum excretionem promovet. Simili modo *Sal Anglicanum* pariter, ac *Sedlicensē*, non solum viscositates intestinorum, in quibus vermes nidulantur, dissoluunt et abstergunt, verum etiam amaritie et acrimonia sua mortem iis inferunt. Admodum secure, stimulando tunicas intestinorum, purgantem suum exserunt effectum, et ab una ad plures drachmas, pro aeratis ratione diuersa, cum sufficienti vehiculo, matutinis horis exhiberi possunt. Eandem virtutem etiam habet similique fere modo operatur *tartarus vitriolatus*, dum viscidos et tenaces humores incidendo, leniterque insimul aluinam excretionem accelerando, veribus itidem aduersatur, licet ob paullo largiorem, in qua exhibendus est, dosin, ab infantibus et pueris aegerime adsumatur et hinc rarius iisdem hoc fine praescribatur.

§. XXV.

Ex vegetabili regno, praeter enecantem, etiam satis insignem repellentem virtutem exserit *Aloe*, ex principiis tam gummosis, quam resinosis, potissimum composita, illorumque intuitu magis abstergentem, incidentem et laxantem, horum vero respectu manifestius stimulantem et purgantem effectum monstrans. Rarius simpliciter et sola adhibetur, rarissimeque infantibus et pueris, ob saporem summe aduersum et nauseosum, et molesta inde euenientia tormenta, porrigitur; adultioribus autem optime conduit in pilularum forma, hunc cir-

DE ANTHELMINTICORVM VSV ET OPERANDI MODO. 37

circiter in modum: Rec. Aloës gummosae 3j. Extract. panchymag. Croll. 3ʒ. Limatur. Mart. gr. v. M. F. Pilul. ad pond. gr. i. dosis num. v. ad x. Suceedit huic *Centaurium minus*, quod satis etiam egrum effectum anthelminticum monstrat. Continet enim haec herba principia salina alcalica, cum paucis sulphureis et copiosis terreis mixta, hincque virtutem in primis roborantem, abstergentem leniterque laxantem possidet. Notandum vero, quod, pro scopo magis euacuatorio, extractum ex recenti haec herba melius conduceat, si nimurum vel solitarie ad scrup. j. aut dimidiā drachmam, in aqua destillata quadam solutum, vel cum aliis congruis remedii mixtum, in pilularum forma porrigitur. Maioris adhuc efficacie est radix *ellebori nigri*, quae principiis salinis acrioribus, cum gummatosis et terrestribus mixtis, gaudet, pariterque ac reliqua purgantia cholagogia agit, tanta nempe vi intestinorum fibras stimulando, ut non modo mucum valide absterget et expellat, verum etiam in ipsam sanguinis massam vim suam colliquantem et resoluentem extendat. Optime pro hoc scopo extractum eius, cum mercurio dulci aliquis adpropriatis mixtum, in pilularum forma exhibetur.

§. XXVI.

Proinde etiam, praeter specialiora haec tenus enumerata, eandem expellentem virtutem expectare licet a generalioribus quibusdam purgantibus, quorum breuem saltem recensionem adhuc subiungere luet. Agmen autem ex his dicit *Gialappa*, seu *Mechoacanna nigra*, cuius purgans virtus in resinosis, colligans vero et abstergens in gummosis et salinis fixis principiis maxima residet. Datur hinc infantibus et pueris a gr. v. ad xv. adultis vero a scrup. j. ad dimidiā drachmam, addito quandoquo leni stimulo. Egregie etiam conduceat in hunc finem *essentia* huius radicis, si a dimidia ad integrā drachmam, cum aqua cinnamomi sine vino, syrupo rubi idaei, vel iuscule sumitur. Longe tamen efficacius ingratos tales hospites exturbat *resina Gialappae*, agr. iv. ad viii. vel x. magis tamen adultis et paullo robustioribus, in pilularum praecipue forma, oblata; infantibus autem et pueris cum amygdalis vel pineis et pauxillo sacchari distemperata, si praecipue vegetioris fuerint indolis, exhibetur.

E 3

§. XXVI.

§. XXVI.

Mitioris indolis et virtutis sunt *folia Sennae*, ob principia salina alcalica, cum mucilaginosis et paucis gummosis remixta, unde non solum tunicas intestinorum leuiter vellicant et stimulant, sed et mucosas et viscidas impuritates abstergunt et colliquant nidumque verium sic optime euentunt. Commodissime exhibentur infantibus verminosis in iuseculo prunorum domesticorum, cum quibus antea decoquuntur; aliquando etiam infunduntur, vel cum aqua simplici feruida, vel cum destillata quadam, v. g. fumariae, flor. acaciae, etc. itemque cum sero lactis, addito, ad praecauenda tormina et flatulentiam, semine quodam carminatiuo, vel corticibus citri aut cinnamomi. Omnia autem ex hoc regno desumptorum remediorum optimum constituit *Rhabarbarum*, ex principiis salinis alcalicis et copiosioribus gummosis ac terreis partibus constans, hincque ob blande laxantem et abstergentem virtutem huic quoque scopo egregie satiens, siue in substantia, vel puluere, siue in infuso aut tintura, pro diversa subiectorum conditione, exhibeat, siue etiam extractum eius pilulis admisceatur. Infantibus vero tenerioribus magis conductit solus syrups de Cichorio cum rhabarbaro, adiecto pauxillo olei amygd. dulcium. Agmen denique in hoc regno claudit *Scammonium*, succus ille condensatus plantae cuiusdam Syriacae, *Scammoniae* dictae. Constat is ex copiosis partibus refinosis, gummofisis, salinis acribus et intermixtis mucilaginosis, meritoque hinc inter purgantia magis draistica refertur, et in substantia nunquam secure adhibetur; praeparata vero eius non penitus contempnenda sunt, praecipue pro robustioribus. Viscissimum horum est *diagrydium*, seu *sulphuratum scammonium*, quod ad pauca grana aliis mitioribus laxantibus stimuli loco adiicitur, alias autem satis commode etiam in pilulis exhibetur, hunc fere in modum: Rec. Scammon. sulphur. gr. v. Mercurii dulcis gr. viij. succi liquirit. q. f. M. F. l. a. Pilulae nro. xij. *Essentia* eiusdem adultioribus ad drachm. j. porrigitur; *resina* vero commodius inseruire potest emulsionibus purgantibus, hunc in modum parandis: Rec. Resinae scammon. gr. iiij. - viij. Amygd. dulc. num. iv. vel Pinearum no. x. terantur et affusa aqua flor. acaciae, vel cerasor. nigr. F. l. a. *Emulsio*, addendo Sacchari Canar. q. f. pro edulecoratione.

§. XXVII.

Ex animali tandem regno pauca omnino prodeunt, quae expellente in primis virtute gaudent, nec pluribus etiam indigere videmur, cum ex vegetabilium classe sat multa et efficacia iam prostent. Efficacissimum illorum constituit *fel Tauri insipissatum*, ob salinas, quas simul continet, partes, stimulantem etiam leniterque purgantem effectum exserens, unde pilulis quandoque admiscetur, usitatis vero externe adhibetur, prout supra (§. XXII.) monuimus. Succedit dein *butyrum*, quod diaetice copiosius adsumendum commendatur. Agit non tantum ut omnia olea (§. XVII.) vermes necando, sed etiam ad expulsionem aliquid confert, dum viarum lubricitatem simul conseruat et promouet. Tandem quoque hoc referendum est *Mel*, in primis cum succo herbae mercurialis remixtum, quod non tantum ob dulcedinem gratissimam aliis medicamentis, potissimum pro infantibus, admiscetur, verum etiam leuiores stimulandi simul effectum habet.

En! ergo sat magnam medicamentorum talium farraginem, quorum nonnulla sola et in substantia, alia mixta cum aliis, adhiberi solent. In eo enim saepe potissimum rei cardo vertitur, ut bene et conuenienter inter se misceantur medicamenta, unde etiam non iniuste nos facturos arbitramur, si coronidis loco selectiora quaedam, usque et experientia diuturniori probata remedia, speciminum loco iam subiectamus. Sic e. g. sequens *pulvis* egregium semper exseret effectum: Rx. Sem. Santonic. 3*fl.* Rhabarb. 3*ij.* Turbith. resin. 3*ij.* Resin. Gialapp. 3*j.* Mercur. dulc. 3*fl.* Corallin. 3*j.* Ol. Citri gutt. x. M. F. 3*fl.* a 3*fl.* ad j. vel ij. cum melle aut syrupo violarum, in forma linctus, exhibendus. Eiusdem securae virtutis est sequens *unguentum*: Rx. Fell. Tauri, ungu. de Arthan. aa. 3*fl.* ol. Absynth. Menth. Amygdalar. amar. diacolocynth. aa. 3*ij.* Aloes hepatic. 3*vj.* Cerae q. f. M. F. Unguentum. Quando etiam subiecta delicioris sunt gustus, ut amara et ingrata plane aduersentur, tunc commodissime in forma gratiiori, vel rotularum, vel morsulorum, exhiberi possunt talia remedia, v. g. Rx. Pulu. contra verm. 3*j.* Sacchar. in aqua. rosar. q. f. solut. et clarific. 3*vj.* M. F. l. a. Morsuli, pondere 3*ij.* vel ij. Aut Rx. Sem. Santonic. 3*fl.* Turbith veget. 3*ij.* Rhabarb. Or. 3*ij.* Corallin. 3*j.* Resin. Jalapp. 3*j.* Ol. Citr. gutt. vij. Sacchar. in √ flor.

40 DISSERT. MED. DE ANTHELMINTICORVM VSV etc.

Persic. solut. libr. 3. M. F. I. a. Rotulae. Item Rx. Musc. Corall. Herb. Verben. Seord. Puleg. Origan. aa. M. 3*ss*. rad. Fraxinell. Filic. Angelic. Gentian. aa. 3*ij*. Cortic. rad. Mori 3*ss*. Sem. Sinap. 3*j*. Piper. 3*ss*. Croc. Or. 3*j*. Puluerisentur omnia M. cum s. q. Mell. clarific. adde Spir. Vitrioli 3*ss*. sumatur mane ieiuno ventriculo a 3*ss*. ad 3*ij*. quod p[ro]ae omnibus tanquam tutissimum commendat ANDRY, et omnia vermium genera enecasse et profligasse perhibet.

§. XXIX.


Colophonem tandem huic tractationi imponant cautelae quedam, circa horum remediorum usum obseruandae. Primo itaque moneremus, quod haec tenus recensitis omnes quidem necentur vermes, solis tamen ascaridibus exceptis, qui interno anthelminticorum usu rassisime enecantur, adeoque ad eos remouendos maxime conueniunt elysteres abstergentes leniterque stimulantes, ex tanacero, allio, foliis scordii recentibus, marrubio albo, centaurio minori, cum lacte parandi; vel etiam suppositoria, ex felle taurier melle inspissato, aliisque anteal allegatis parata, conducunt. Antequam subiectis talibus exhibent purgantia, in primis acriora mercurialia, bene attendendum est, num febrilis calor adsit, aut duodenum acri caustica bile scateat; his enim praesentibus illa sunt omittenda, quia inde communiter symptomata grauius exacerbantur, intestinorum inflammatio inducit ipsaque mors acceleratur. De amaris notandum est, quod eorum usus nimius plus noceat, quam proficit, adeoque minime omnium indiscretus esse debeat, ob noxios & deleterios facile euidentes superius iam (§. XII.) notatos effectus. An vero et temporis certa quaedam habenda sit ratio, meliusque decrescente luna operentur anthelmintica, maxime expellentia, hic non dijudicabimus, nec tamen prorsus improbamus, si quis huius periodi rationem magis habere voluerit, cum ad minimum tali etiam modo minime noceant, saepe vero perfectius optatum scopum attingant. Ceterum in omnibus infantum et adultiorum morbis chronicis, si appetitus vel maxime prostratus, vel nimius, vel vagus, vel cardialgia, vel nausea, vel saliuæ affluxus copiosus, etc. adfunt, semper fere suspicio esse debet vermbus. Haec ergo pro thematis nostri exactiori sufficient expositio-
ne; DEO autem T. O. M. pro clementissime hac usque concessis viribus, sit laus honor et gloria.

T A N T V M .

01 4 6529



Rehov



DE
ANTHELMINTICORVM
CONVENIENTI VSV
ET OPERANDI MODO,

DIVINI NVMINIS AVSPICIIS

ET

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV

PRAESENTE

D. ANDREA ELIA BUCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVR. PROFESSORE PUBL.
ORDIN. FACVLT. MEDICAE H. T. DECANO, IMPER. ACADEM.
NATVRAE CVRIOSOR. PRAESENTE ET COMITE
PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

D. NOVEMBR. A. S. R. MDCCXLVIII.

H. L. Q. C.

IN REGIA FRIDERICIANA

DISPV TABIT

GEORGIVS GODOFREDVS MENTZEL,
SVIDNITIO - SILESIUS.

HALAE MAGDEBURGICAE
TYPIS IOANNIS GODOFREDI KITTLERI.